Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8266
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Ille talis quamvis ad hostium suum in sinagoga orat: Eius autem orantis mens solum aspicit deum. Et in illa hora est mens eius quasi nullum habeat circa se quia mens illius nullum videt quia propter deum ille orat. Et ideo quamvis in sinagoga orat: tamen apud se in secreto videtur orare: Deinde ut orans in secreto nichil novum faciat quod aspiciant homines ne quis voce clamet ut audiatur ab aliis nec expandat manus suas ut phariseus in templo, ut videatur a multis, neque pectus suum aperte percutiat sed absconse, sicut publicanus in templo, neque impudenter oculos tollat in celum ut nobilis fiat, et ita quem nemo audit clamantem nemo aspicit tale aliquid facientem: etiam inter multos stans in secreto est.

Et in angulis platearum: Non dixit in plateis, sed in angulis platearum: ut ne si in plateis oraverint quasi simulatores religionis iudicentur. Sed in angulis ut videantur absconse orare, astuta vanitas: Sciunt enim quod hoc ipsum absconse orare laudabile est: ideo fingunt se abscondere, ut dupliciter laudentur: Primum quia orant. Secundo quod absconse orant, et amplius se manifestant per hoc ipsum quod se abscondunt. Dic ypocrita quid vis ut videaris orare. Si omne quod laudabile est res orare: Ut quid ergo si vis esse laudabilis: quam vis ut laudaris. O insania vanitatis esse volunt quod desiderant apparere. Amen dico vobis receperunt mercedem suam: Unusquisque ubi seminat ibi metet: et quod seminat hoc metet, propter homines orant, non propter deum: sic et ab hominibus non a deo laudantur: Mendaciter orant cum non orent: Et mendaciter laudantur cum non sint laudabiles: Speciem vacuam religionis ostendit et nudum vacuum laudis

emisit: Sic oratio eorum deum non delectat, sic nec laus hominum ipsos adornat: Quod enim in verbo positum est tam diu est quam diu dicitur verbum, cum autem finitum fuerit verbum, finitur et bonum quod positum erat a verbo: Tu autem cum oras, tu qui vis ut exaudiaris, ut non videaris qui esse vis laudabilis non apparere qui in auribus dei non in oculis hominum loqueris.

Intra in cubiculum tuum et claude ostium tuum: Ut nemo sit ibi nisi tu qui oras, et ille quem oras, et ut quid tecum sit alter, pater enim quem necessarium habes, testis enim orantis gravatur non adiuvatur. Quia deus cordibus non exigitur sed placatur: Altum dico altius cordis qui autem eiusdem sunt cordis, et si multi fuerint orantes, unus sunt, quia unus spiritus in omnibus orat. Sic dictum est. omnium autem credencium erat cor unum et anima una. Melius hec spiritualiter intelliguntur ad animas dicta: Cubiculum enim est cor vel intellectus interior, id est spiritualis. Sic scriptum est: Que dicitis in cordibus vestris et in cubilibus vestris compungimini: Hostium autem est sensus carnalis exterior per quem omnia bona et mala super animas intrant. Sic in canticis ex persona ecclesie sapientia dicitur: Ecce fratruelis meus pulsat hostium tuum. aperi mihi soror mea proxima mea: Pulsat autem Christus homines christianos aut per scripturas divinas, aut bonas cogitaciones super cor eius inducens. Et ille qui suscipit eas: accipit Christum. qui autem expellit claudit: Iubet ergo ut animas in celare ingrediatur intellectum. quia orat ut nichil cogitet in hoc quo orat et quem orat: Ut claudat hostium sensus sui carnalis. ut omnes cogitaciones carnales et sollicitudines